S.MI D. N. D. CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII.

Præceptum ne de cætero Fratres S. Mariæ de Mercede nuncupati, quempiam Fratrum Minorum de Obſeruantia, alteriuſuè ſtrictioris Ordinis Profeſſorum, quouis prætextu recipere, aut retinere præſumant.







CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Nuper ad nos perlatum eſt Religioſos Ordines Beatæ Mariæ
de Mercede Redemptionis captiuorum, prætextu cuiuſdam indulti Apoſtolici dicto Ordini antiquitus conceſſi,
Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum,& alios Regulæ ſtrictioris,in eorum ſoda-
litatem,ſeu domos,aut Conuentus recipere. Quare, cum id ſæpius meritas pœnas eludendi cauſa fiat, & ex hoc
multa ſcandala in populo generentur,& alia multa incommoda naſcantur. Nos huiuſmodi ſcandalis obuiare,&
quieti Religioſorum proſpicere cupientes,tenoremq; dicti indulti, perinde, ac ſi de verbo ad verbum insereren-
tur,præſentibus pro expreſſis habentes,de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardi-
nalium,Sacri Tridentini Concilij interpretum ſententia,ne quis Prælatorum, ſeu Superiorum,aut Fratrum Con-
uentuum,ſeu domorum dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum,tam in Regnis Hiſpa
niarũ,quàm alibi conſiſtentiũ,quauis ille dignitate,præeminentia,prærogatiua, vel munere fungatur,quemquam
Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia,aut alicuius ſtrictioris Regulæ, quàm ſit Regula dictorum Religioſorum Beatæ Mariæ de Mer-
cede,prætextu cuiuſuis indulti,ſeu priuilegij Apoſtolici recipere audeat,vel præſumat, etiamſi habeant priuilegiũ id faciendi,cauſa quarti
voti,quod ipſi Profeſſores Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede huiuſmodi faciunt, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium diſtrictè prohi-
bemus,declarantes Regulam ſtrictiorem eſſe iudicandam alia ratione,quàm reſpectu quarti voti, decernentes ex nunc irritũ,& inane ſi ſe-
cus ſuper his à quoquam,quauis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari.Non obſtantibus Priuilegio, ſeu indulto huiuſmo
di,quod harum ſerie proprio Motu reuocamus,& abolemus,ac quibuſuis Conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,necnon dicti Or
dinis Beatæ Mariæ de Mercede,iuramento confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus,Pri-
uilegijs quoq; indultis,& Literis Apoſtolicis ſub quibuſcunq; tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in genere, vel in
ſpecie,ac aliter in contrarium quomodolibet conceſſis,approbatis,& innouatis.Quibus omnibus,& ſingulis, etiamſi de illis,illorumq; totis
tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa,& indiuidua,non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio
habenda foret,illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, &
expreſsè derogamus,cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;. Volumus autem,quòd præſentium tranſumptis,etiam impreſſis,manu alicuius No
tarij publici ſubſcriptis, & Sigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem prorſus fides adhibeatur,quæ pre-
ſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſimaquarta
Decembris, Milleſimo quingenteſimo nonageſimoſexto, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

*NOS Hieronymus Mattheius Miſeratione diuina S. R. E. Tituli S. Pancratij,Presbyter Cardinalis, ac totius Ordinis Fratrum Minorũ
Sancti Franciſci de Obſeruãtia Protector, Omnibus,& ſingulis præſens Tranſumptũ Literarum Apoſtolicarum, Sanctiſſimi D. N.D.
Clementis diuina prouidentia Papæ Octaui,viſuris,lecturis,pariter,& audituris,Notum facimus,& in verbo veritatis teſtamur,qualiter cũ
originalibus Apoſtolicis Literis in forma Breuis,ſub Annulo Piſcatoris, pro parte Reuerendi Patris Fratris Ioannis Baptiſtæ Moles eiuſdem
Ordinis Obſeruantiæ in Curia Rom. Commiſſarij nobis exhibitis,quas non caſſas,non abolitas,nec in aliqua ſui parte ſuſpectas,vidimus,con-
cordat. In quorum omnium fidem,& teſtimonium,per modum authentici Tranſumpti,auctoritatem noſtram, pariter, & Decretum inter-
poſuimus,ac Sigillo noſtro muniri,& per Notarium infraſcriptum ſubſcribi fecimus. Actum,& datum Romæ in ædibus noſtris,Anno à Na-
tiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo nonageſimoſeptimo, die xvij. Menſis Ianuarij, Pontificatus verò eiuſdem S. D. N. Clementis
Octaui, Anno Quinto.*

ROMÆ, Apud Impreſſores Camerales. 1597.